



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

Cap. XIII. De Secretaria Apostolica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

*Lectæ, & publicatæ fuerunt suprascriptæ Regula, Ordinationes, & Constitutiones in Cancellaria Apostolica ab uno ex RR. PP. DD. Majoris Præsidentia Abbreviatoribus Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sextentesimo nonagesimo primo die vero vigesimo primo mensis Julii Pontificatus prælibati Sanctissimi Domini Nostri INNOCENTII XII. Anno Primo.*

Joseph Maria Minicotius  
Procurator.

C A P U T XIII.

*De Secretaria Apostolica.*

1. *Gratia & Justitia conceditur etiam in Secretaria Apostolica.*
2. *Olim constituebant Secretariam Secretarii qui expediebant literas nomine Pontificis.*
3. *Vel sub plumbo, vel sub annulo Piscatoris.*
4. *Innocentius VI. instituit Collegium Secretariorum.*
5. *Ex quo olim sumebantur Secretarii Legatorum & Nunciorum.*
6. *Emunt Secretarii Officia & percipiunt emolumenta ex Brevibus.*

7. *Ex*

7. Ex his unum eligit Papa, qui Brevia sub-  
scribit.
8. Præfectus Brevium est Cardinalis.
9. 10. & 11. Quæ expediuntur in forma Bre-  
vis.
12. Triplex est modus expediendi Brevia.
13. Primus Secretarius & Minister est Cardi-  
nalis Nepos; sed nunc Titulus est diminutus.
14. 15. 16. Ejus Officium.
15. Habitat in Palatio Apostolico, & fuit ha-  
ctenus Legatus status Avenionensis. & Comi-  
tatus Venaisini.
18. Habuitque ius in locis Vice-Legatum.
19. Nunc vero nihil ex iis Provinciis percipere  
potest.
20. Alia quoque Officia & pingues redditus illi  
assignabantur.
21. Nunc vero id prorsus prohibitum.
22. Post Cardin. Nepotem est Secretarius Status.  
Quæ ei committantur.
23. Qui plures habet Adjuutores. Eorum Offi-  
cium.
24. Præcipuus inter eos est Secretarius Cifra-  
rum.
25. Est quoque Secretarius Brevium.
26. Ejus Officium.
27. Distinguenda sunt Brevia à monitoriis, &  
inhibitoriis.

28. Est etiam Secretarius rerum Forensium.

29. Et Secretarius Memorialium.

30. Brevia referuntur in Registra.

31. Quæ sit taxa Brevium.

I.

Quamvis pleraq; negotia, quæ Gratiâ  
Justitiamque concernunt in Curia  
Romana referuntur atque etiam expediuntur in Signatura Gratiæ & Justitiæ, Dataria, Cancellaria & Camera Apostolica, frequentissimè tamen præsertim post tempora Innocentii VI. literæ Apostolicæ de rebus tam Gratiæ quam Justitiæ, & ex utrisque mixtis in Secretaria Apostolica conceduntur.

2. Constituebant ante Innocentium VI. hanc Secretariam, ut refert Vestrius, certi quidam Secretarii, non tamen in aliquod Collegium, ut postea factum, colligati, quorum operâ utebatur Pontifex in rescribendis litteris de rebus fidem & Rempublicam concernentibus ad Reges, Principes, Civitates, Cardinales, Episcopos, aliosque quî aut Papam consulebant, aut Mandata ab eodem accipiebant.

3. Hæ literæ duplici modo expediebantur, uno sub plumbeis Apostolorum

rum

rum Petri & Pauli imaginibus, & Bullæ appellatæ sunt, altero sub annulo Piscatoris forma epistolari & breviori, ideoque Brevia dicta sunt, in cera, & quandoque etiam in plumbo, hac vetustate usus Brevium in plumbo omnino desuevit, & sub cera duntaxat extrahuntur.

4. Cum vero excrescentibus negotiis pauci, qui erant, Secretarii domestici omnibus expediendis non sufficerent, instituit idem Innocentius VI. Collegium junctis domesticis triginta duorum Secretariorum, eâ tamen lege, ut hic numerus ad vigesimum quartum successu temporis reduceretur, si contingeret aliquos domesticorum è vita vel officio decedere.

5. Ex hoc Collegio assumebantur olim Secretarii & Consilarii Legatorum & Nunciorum Apostolicorum, qui etiâ frequenter pro meritis suis tanquam in negotiis publicis jam versati ad ipsum Nunciaturæ munus elevabantur. Verum cum officia ista ob inopiam Ecclesiæ ex prima institutione Innocentii VI. venalia sint, accidit frequenter, ut ea obtinuerint non satis idonei, quibus majora illa munia committi tutò non possent,

sent, ideo prudenter Pontifices judicant, non expedire hujusmodi officia illis amplius deferre.

6. Comparantur vero singula horum Secretariorum officia novem millia Scutorum, & redditum annuum proferunt ad Scuta octingenta. Participant enim hi Secretarii ex emolumentis Brevium, quæ per eos expediuntur, & taxata per aliquem è numero eorum omnia solvuntur, exceptis Brevibus Indulgentiarum.

7. Unum ex 24. Secretariis eligit Pontifex magis idoneum qui veluti Prælati domesticus & familiaris Papæ substitit in Palatio Apostolico. Hic Brevia taxata, quæ in hac Secretaria expediuntur, revisa prius & signata annulo Piscatoris à Præfecto Brevium, subscribit.

8. Est hic Præfectus Brevium Cardinalis aliquis, qui percipit in singulos menses centum Ducatos de Camera. Officium illius est, ut dixi, revidere & subsignare annulo Piscatoris Brevia, quæ taxata extraduntur.

9. Expediuntur vero per hanc Secretariam in forma Brevis placita super alienationibus bonorum Ecclesiæ infra sum-

mam

mam decem Ducatorum Camerae increditibus ; Item dispensationes super aetate, interstitiis, defectu natalium promovendorum ad ordines , non autem ad dignitates , & beneficia , nam istae dispensationes expediri solent per Cancellariam sub plumbo. Expediuntur hinc quoque Indulgentiae , & aliae similes gratiae.

10: Conceduntur quoque per hanc Secretariam in forma Brevis majores gratiae & negotia graviora , ut sunt indulta , quae dantur Regibus , Principibus, Cardinalibus , Legatis , & Nunciis Apostolicis ; Nec non dignitates, vel tituli saeculares Principum , Ducum, Marchionum & Comitum. Magistratus quoque & officia tam Ecclesiastica quam saecularia , sive civilia illa sint, sive militaria. Praeterea condonationes, dispensationes caeteraque gratiae, quae per Papam concessae ex Regulis Cancellariae vel ex stylo Curiae non exigunt literas sub plumbo in Cancellaria expediendas.

11. Nonnunquam etiam provisiones Cathedralium , & Metropolitanarum, Dignitatum & Beneficiorum , quae caeteroquin non solent, nec debent conferri

ferri nisi per literas plumbatas in Cancellaria, fieri solent per litteras in forma Brevis sub annulo Piscatoris, sed ad effectum solum adipiscendi possessionem licet in Cancellaria Bullæ sub plumbo nondum expeditæ sint, quarum expeditio subinde certas ob causas differtur, ita tamen ut intra sex menses sub pœna annullativa gratiæ expediti debeant.

12. Cœterum brevium triplex esse solet expediendi modus: Primus est, si expendantur supplicatione interclusa, & tunc clausa semper sollicitatoribus conceduntur. Alter est, si supplicatio non inferatur, sed ea extensa Breve conceditur personæ alicui singulari, & tunc pariter clausum datur. Tertius est, si supplicatione non interclusa, sed extensa rescribatur ad omnes & singulas personas, vel si ad particularem personam certumque universitatis corpus, ad futuram tamen rei memoriam, vel quotiescunque rescribit Pontifex ad Hebræum aliquem vel Hebræorum universitatem, semper per breve apertum id fieri solet.

13. Præter supradictos 24. Secretarios, qui constituti sunt pro Bullis taxatis expediendis, supereminet omnes, primus



ptimus non solum Secretarius, sed etiam Minister Papæ Cardinalis Superintendens Generalis antea dictus, qui Cardinalis Nepos appellari solet, cui titulus Secretarii, & Superintendentis Generalis status Ecclesiastici per Brevia Pontificia concedi ante hac solebat. Sed nunc recentissimè Anno 1692. 28. Junii Innocentius per Constitutionem moderatoriam Romanam in consensu Cardinalium Officium & Titulum Superintendentis Generalis, atque etiam officia quædam suprema militaria cum omnibus juribus prærogativis, stipendiis, salariis & emolumentis quibuscumque perpetuo suppressit & abolevit.

14. Munus illius jurisdictionale & publicum est, ac versatur principaliter circa regimen Domini seu Principatus temporalis status Ecclesiastici, ideoque literas, quæ nomine Pontificis dantur ad Principes, Nuntios, aliosque, & provisiones & patentes, quæ conceduntur Officialibus pro ejusdem Principatus temporalis regimine, & administratione subscribit.

15. Tractat quoque hic primus Minister Politica, ac quædam etiam Civilia cum Regibus & Principibus, eorumque  
Vice-

Vicariis & Magistratibus, cum Apostolica Sedis Legatis & Nunciis aliisque Curiae Ministris; Et quandoque etiam, si ita visum fuerit Pontifici, cum Episcopis & Metropolitanis.

16. Hinc est, quod Oratores Principum, & Curiae Officiales ac Magistratus, cum ab audientia Pontificis veniunt, hunc primum in Curia Ministrum adeant, eique communicent, quae in dicta audientia tractata sint. Atque etiam alii Officiales & personae privatae, quae fortè admitti ad alloquium Papae non possunt, aut admissi petita nondum obtinuerunt, sua exponunt, & suppliciter commendant.

17. Moratur hic Cardinalis Nepos in Palatio Apostolico, & Pontifici in Negotiis quibusvis gravioribus assistit, ideoque via & accessu occultiore illum adire potest. Fuit hucusque Legatus Status Avenionensis, & Comitatus Vindascini seu Venaisini in Gallia, percepitque redditus & emolumenta ex iis; Legationem vero comisit alicui Praelato, qui Vice-Legatus dictus est à Pontifice constitutus.

18. Gaudebat hic Vice-Legatus omnibus Facultatibus & Juribus Legati, etiam in aliquorum beneficiorum reservato

li rum

rum collatione ; Nisi quod ab eo daretur appellatio & recursus ad ipsum Legatum, qui proinde causas appellationis vel per se ipsū, vel per Auditorē suū, aliosve delegatos cognoscebat, & si quæ graviores essent, committebat eas etiam in Rota decidendas ; Instituta est subinde Congregatio quorundam Prælatorum & Curialium, quæ Avenionensis dicitur, pro negotiis illius Principatūs melius pertractandis.

19. Sed hoc anno per citatam constitutionem prohibuit Innocentius XII, ne post hac emolumenta, salaria aut donaria ex illis Provinciis, quæ ante hac per Cameram Apostolicam Vicario Generali in Spiritualibus & temporalibus, ac Legato de latere iis in locis assignabantur, Nepoti huic aliisque consanguineis vel affinibus Pontificum concedantur.

20. Committi quoque solebat Cardinali Nepoti regimen Principatūs Firmiani, quem similiter administrabat per Prælatum aliquem, qui Gubernator dicitur, ita tamen ut appellari posset ab eo ad Legatum. Aliis præterea idem Nepos præficiebatur primariis Officiis pluribus vel paucioribus pro benevolentia Papæ, quorum largis redditibus & com.

modis ditabatur. Sed modernus Pontifex Innocentius XII, in citata Constitutione Romano perpetuo valitura statuit ac decrevit, ne post hac à se vel Successoribus suis Romanis Pontificibus ad favorem Fratrum, Nepotum, aliorumque Consanguineorum, seu affinium, illorumve loco in familiam adlectorum, de bonis, pecuniis, locis montium, officii venalibus, creditis, redditibus rebus & juribus quibuscunque ad Camera Apostolicam quovis modo spectantibus, etiam ex emolumentis Datarie, Cancellarie, Secretarie Brevium, spoliolorum Ecclesiasticorum, & quarumcunque Palatii Apostolici portionum seu distributionum convenientibus quocunque Titulo, colore aut pretextu, nisi ex Lege justitie aliquam exigant remunerationem, ullo modo disponatur. Quod si Nepotes illi & Consanguinei vel Affines inopia laboraverint, poterit Pontifex illorum paupertatem eo modo sublevare, quo pauperum extraneorum inopie subvenire fas est.

21. Hæc aliaque plura in cit. Constitutione pro moderamine servando in donationibus reddituum Ecclesiasticorum Consanguineis faciendis Optimus & ob

hoc solum æterna memoria dignissimus Pontifex pientissimè ordinavit, ut fieret forma gregis daretq; exemplum præsulibus & Ecclesiarum & Prælatiſ, quibus sacri Canones, ne bonis & reſitibus Ecclesiæ Conſanguineos suos locupletent, tam frequenter inculcant, ut hi quoque carnis sanguinisque laqueis expediti de bonis & rebus Ecclesiasticis juxta æquitatis & justitiæ leges disponant.

22. Post Cardinalem Nepotem præcipuus est in rebus politica, & ex parte etiam Civilia & Ecclesiastica concernentibus Secretarius status, cui graviora negotia cum Regibus & Principibus, cum Legatis, & Nuntiis Apostolicis & quandoque etiam cum Ordinariis locorum Gubernatoribus aliisque Officialibus & Magistratibus status Ecclesiastici communicato ut plurimum cum Cardinali Nepote consilio pertractanda committuntur, qui deinde oracula & mandata Pontificis iisdem seu verbis seu scriptis explicat.

23. Hic Secretarius plures Adjutores habet, & Ministros, qui literas & instructiones in rebus gravioribus vel ipsi componunt, quas deinde revidet Secretarius status vel à dictante excipiunt. Divisas inter se habent Provincias

cias & Nuntiaturas, pro quibus literas illas conficiunt. Vestiuntur violaceis, & habitant in Palatio Pontificis, à quo pro annuo salario percipiunt mille quingenta scuta, præter emolumenta, quæ ex Secretaria proveniunt.

24. Hos inter præcipuus est, qui Secretarius dicitur Cifrarum, hic literas cifris & notis occultioribus scriptas interpretatur, & componit.

25. Ex supradicto Collegio Secretariorum desumitur ut plurimum unus, qui Secretarius Brevium dicitur; Et si fortè nemo in Collegio esset, qui aut satis idoneus ad hoc videretur, aut sufficienter probaretur Pontifici, committitur quandoque hoc munus aut Cardinali alicui, aut Auditori Camerae, aut alteri cuidam Prælato, probatæ fidei, aut etiam, quamvis id rarius, primo Secretariæ Ministro in hoc Ministerio plurimum versato, atque hoc casu Brevia per hunc Substitutum conscripta subscribi solent per Decanum Collegii aliumvæ Turnarium, prout fert stylus eorum.

26. Officium Secretarii Brevium est expedire literas Apostolicas, quæ dantur in forma Brevis, in membrana

Li 3                      subti-

subtili & alba, caractere latino ac nitido scriptas & signatas annulo Piscatoris, qui vel ab ipsomet Pontifice, vel ab ejusdem intimo probatæ fidei familiari magna cum diligentia asservatur.

27. Monendi hic sunt exteri in Curia Romana non versati, ne imponi sibi permittant, credantque damno suo Brevia esse Apostolica, quæ vel monitoria solum sunt Auditoris Camerae, vel inhibitoria Rotæ, aliorumque Tribunalium, vel processus fulminati, similesve expeditiones Judicum & Tribunalium. Dicuntur quidem Brevia quoque, etiam in ipsa curia literæ poenitentiarie, quæ in ipso Tribunali concedi solent ut plurimum pro foro interno, & quandoque etiam pro externo, verum hæc facile dignoscuntur ex diverso sigillo, diversaque forma scribendi.

28. Est deinde alius quidam Secretarius Brevium circa forensia contentiosa, cujus officium est expedire Brevia, & literas pro commissionibus, vel delegationibus causarum appellationis, vel restitutionis in integrum, quæ in partibus diriguntur ad Episcopos viciniore, vel Judices Synodales, aliasve personas in Ecclesiastica dignitate constitutas. Hic  
Secre-

Secretarius non moratur in Palatio,  
& officium illius est venale.

29. Demum habet Pontifex in Palatio suo Officiale, qui Secretarius memorialium vocatur, quia nimirum memorialia vel libelli supplices, qui Papæ porriguntur, per hunc statutis diebus & horis Papæ referuntur vel extensi vel in compendium contracti pro negotiorum qualitatibus atque in eorum libellorum dorso Pontificis responsa per eundem annotantur, ut secundum ea deinde Brevia & provisiones expediantur.

30. Cum vero in Secretaria majora & graviora negotia Pontificum expediantur, ipsaque Brevia ex alio dignosci non possint esse authentica, nisi ex subscriptione Secretarii & Sigillo Piscatoris ceræ rubræ, quæ facile diffringitur & avellitur, impresso; ideo ut haberi semper possit certitudo de expeditione referri solent Brevia in registra, quæ magnâ curâ custodiuntur in Archivio Apostolico illis exceptis, quæ minoris sunt momenti, & plerumq; omnibus petentibus conceduntur; Ut sunt, Brevia super dispensatione interstitiorum pro suscipiendis sacris Ordinibus in tribus diebus festivis, aut super dispensatione  
ætatis



ætatis tredecim mensium ad suscipiendū Ordines sacros, concessione quarundam Indulgentiarum sub certa forma, puta pro Altari privilegiato in una die hebdomadæ, aut in Octava mortuorum, vel pro indulgentia plenaria in una tantum solemnitate cujusdam Ecclesiæ, aliisque similibus gratiis, quæ cuique petenti conceduntur, & in quibus non subest timor fraudis seu falsitatis. Post mortem ergo cujuslibet Pontificijs deferuntur supradicta Registra omniaque quæ expedita sunt per Cardinalem Nepotem, cæterosque Secretarios tempore eorum administrationis ad Castellum S. Angeli.

31. Quod attinet ad taxas Brevium, sciendum indulgentias, aliaque spiritua-  
lia gratis omnino concedi, adeo ut Secretaria suppeditet expensas membrorum & scriptorum, solum in casibus quibusdam extraordinariis dari solet modicum aliquid fortè in compensationem expensarum. Cætera vero Brevia suas habent determinatas taxas; Ex. gr. Pro dispensatione super interstitijs solvuntur quatuor ducati de Camera, pro aliis dispensationibus ordinariis solvuntur quinque; At vero in gravioribus nego-  
tius

tiis taxa est varia pro varietate & gravitate negotiorum.

*Vestrius l. 1. c. 7. Card. de Luca Relat. cur. Rom. c. 7. Lunador. Rel.*

## C A P U T XIV.

### De Camera Apostolica.

#### §. I.

### De Tribunali Camerae Apostolicæ.

1. Antiquitus pontifex suppresso Officio Archidiaconorum, curam per se habebat ærarii.
2. Sed postea eam commisit Cardinali Cameraario, & institutum est Tribunal Camerae.
3. Quæ referantur ad hoc Tribunal.
4. Qui Officiales ad illud spectent.
5. Quando congregentur.
6. Ordo sessionis & qui votum habeant.
7. Advocatus & Procurator partium exeunt à Tribunali, postquam Judices informarunt.
8. & 9. Quomodo suffragia ferantur.
10. Cause distribuuntur inter Clericos, qui eas à se examinatas in Tribunali proponunt.
11. Ubi terminari debent.
12. Jurisdictio hujus Tribunalis restricta est.
13. Offi-